

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1752)
Heft: 28

Artikel: Ao quaedam de Claudio Allobroge, homine fanatico & s. triadis hoste
Autor: Allobrogus, Claudius
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394732>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 03.02.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

ΑΝΕΚΔΟΤΑ quædam

de

CLAUDIO ALLOBROGE,

Homine Fanatico & S. Triadis

hoste.

Ad Virum plurimum Reverendum ac Celeberrimum

J. GEORG. SCHELHORNIIUM,

Ecclesiast. & Bibliothecar. Memming.

EX quo, Tibi, Vir Clarissime καὶ ἐμῶ κεχαρισ-
μένε θυμῶ, in Epistolari Dissertatione ad Summe
Venerandum Acad. Georg. Aug. Cancellarium J. L.
a MOSHEIM visum est, quæcunque incredibili
 prope diligentia ac sagacitate ad illustrandam ob-
 scuri Circumcellionis CLAUDII SABAUDI Histo-
 riam tuæ temporis congesta habueras, luci pu-
 blicæ exponere, mihi que hoc negotium dare, ut
 si quæ præterea vel parata haberem, vel in Scri-
 niis nostris delitescencia indagarem, quibus Fana-
 tici hominis ingenium, errores, fataque amplius
 declarari possint, ea Tecum communicare velim:
 Ego profecto nihil magis studui, quam ut expec-
 tationi Tuæ aliqua ex parte possim satisfacere:
 Sed usu mihi venit, quod præfagiebat animus ita
 futurum, quam primum quid Tu a me desidera-
 res cognovissem, scilicet ut studium meum fru-
 straret

straret Successus: Dudum enim mihi persuasum fuit, quæ in hoc rerum genere aciem Tuam ac indaginem fugiant, in iis quærendis frustra alios operam impendere. Pie venerandi BULLINGERI nostri *Affertio orthodoxa utriusque in Christo Naturæ*, quem Libellum cupide perlustravi, nihil prorsus habet, ex quo vel sagacissimus quisquam eum CLAUDII errores respicere possit suspicari; neque etiam impiis hujus Erroris cavillationibus directe oppositus est, sed ut b. m. *Bullingerus* in Catalogo operum suorum diserte annotaverat, Allobrox ille occasionem tantum sancto Viro præbuit, ut hoc argumentum *contra varias Hæreses pro Confessione Christi Catholica* (ut titulus præfert) in hoc Libello explicandum sumeret. Quum vero hac minus procedere, & spem meam tantum non deludi cernerem, obfirmavi animum, me non prius ab indagandi studio remissurum, quam aliquo documento tibi possim comprobare, quo minus Tibi fuerit satisfactum, mihi nec fidem nec studium, sed facultatem, defuisse. Quid tandem hac mea pertinacia promoverim, & in quantum a neglecti officii culpa absolvi possim aut debeam, Tu Vir Clarissime, ex adjectis Fragmentis epistolicis cognosces. Cognosces autem ex *Frehti & Musculi* Epistolis uberiora de CLAUDII Erroribus & fatis ab Augustanis esse repetenda, ut fere Tibi objicere possim illud: *Tute lepus es & pulpamentum quæris*. Ea autem, quæ hic oculis Tuis subjicio, sub titulo ANEKΔΟΤΩΝ venditare audeo, quod præter primam *Halleri* Epistolam, quam ad fidem *Αὐτογράφου* dare castigatam volui, cetera hætenus lucem nondum vidisse, persuasum habeam; ea vero quæ
qui.

quidem edita aliquando, sed negligenter ac corrupte, pro non editis habenda censeam. Vale
Vir summe Venerande ac Celeberrime, & ama

Breitingerum Tuum.

I.

S. Alteras paraveram literas dum per otium vacabat, & nuntii Friburgi sua agerent, Doctissime *Heinrice*. Interim collocuti sumus cum Gallo hoc, qui tametsi mentis (a) compos non sit, natus tamen videtur ad pertinaciam & contentionem. Afferuerat (b) *primam* Christum nudum esse hominem: dein cum apertissimis a nobis urgeretur Scripturis, admisit, Christum naturalem Dei Filium, adeoque Deum esse, sed non æternum, imo in tempore constitutum, (c) *præordinatum*, . . . & factum. *Act. 2. (v. 36.)* Attamen hunc alioquin purum hominem esse fidei nostræ objectum: Cui satis abunde responsum est, sed minime satisfactum, pertinaci enim satisfieri nequit. Monuimus hominem, ut fidem hanc apud se habeat, id (d) *quod* minime facturum scio. Restat, ut illi probemus, Spiritum S. esse Deum & ab æterno, quem Creaturam asserit. Negat Triadem, personas tam (e) quo ad vocem, quam quo ad rem. Vidi tua in Hebræ. & aliis locis,
Tom. VII. S s qui-

* In Cent. Epist. Ref. n. XL. eadem hæc Epistola exhibetur, ibi vero contra Autographi fidem legitur (a) *mente*. (b) *Jesum*. (c) *constitutum & factum*. *Ait secundo*. (d) *vero*. (e) *personas vero*

quibus magnam mihi cogitandi occasionem dedisti. In hoc hæreo, ut non plene intelligam, quid sibi velit vox PERSONA, quam *Notionem ZWINGLIUS* vocat in Relig. vera & falsa. Alii vero *Nomina Operationum*: Alii *Relationes* aut *proprietas*. Vidi Scholasticos in I. Sententiarum. Sed ex (f) *illis omnibus* me extricare nescio. Sic semper & in omnibus te cogor perturbare. Paucis dabis occasionem cogitandi, dummodo rei summam depinxeris. Vereor, ne & *Farellus* in hoc (g) *captus* sit errore. Curabis igitur, (h) *quamprimum* poteris, potes vero per hunc nuntium Funkii nostri filium, ut respondeas. Ich mein die *Hendel* machen uns eins. (i) *Reliquum in prioribus*. Vale VII. Maji 34.

Tuus B. Haller.

An Meister Heinrich Bullinger *synen insonders geliepten Herren und Bruder*.

II.

S. Ut vobiscum, qui Tiguri sacris præestis, familiaritatem amicamque iniret consuetudinem, charissime Heinrice, invisit vos Frater noster *Simpertus Vogtius*, Schaffhusanus, Ecclesiæ Bielenſis Minister, homo & doctus & syncerus: Quare ut commode suo voto potiri possat, cum his diebus nobis

tam quoad vocem, quam ad rem. (f) *ex illorum tricis*. (g) *implicitus*. (h) *si quid respondere poteris*. (i) *penitus omiſſa*.

biscum Bernæ versaretur, rem illi gratissimam feci, quod meis eum vobis commendarem literis. Id autem libentius feci tua fretus in omnes humanitate, maxime vero qui nomine meo ad te veniunt, ut & is testis sit nostræ mutuæ amicitiae: quandoquidem Hallerum Bullingero addictum omnes sic deprædicant, ut totus ab eo pendeat, quantum citra fidei & sanæ doctrinæ jacturam hoc licet: Cæterum Antidotum in nostram comparavimus Bibliothecam, tuo igitur quantum unquam per ocium licet consilio obsequar. *Proscribetur GALLUS CLAUDIUS, etiam Simperto optime notus.* Interim oremus ut parati simus in omnibus rationem reddere ejus quæ in nobis est spei. Nova Wirtembergica placent, placet & hoc quod addidisti, quatenus in timore Domini omnia suscipiamus, ne extrema gaudii nostri luctus occupet. Apud nos nihil est quod scitu dignum videatur. Valemus alioqui omnes. Valeas & tu, charissime Frater, & me ut soles ama. Bernæ 21. Maji, Anno 34.

Tuus B. Hallerus.

Inscript. Heinrico Bullingero,
Ecclesiastæ Tigurino,
Fratri suo charissimo.

III.

S. CLAUDIUS hic SABAUDUS inter prandendum indicat Tigurum se hodie profecturum, ut etiam si per negotia vacaret multis ad te scribere, temporis tamen spatiis excluderet. Patrocinio tuo apud Claris. Myconium gratias ago, nam ex ani-

mi sententia & fœlicissime cecidit. De gliscentibus bellis hoc plane quod optaverit quisque iudicas, sed in Domino Christo pacem habebimus, utut sæviat mox ruiturus mundus cum suo principe jamdudum elumbe & enervato. *Frechto* nostro articulos istos quos misisti reddendos curavi, qui multis te vicissim &c. Sed mitto ipsius epistolam, quæ novi nonnihil adfert, quum nihil periculi esse putem si tibi charis. capiti & parti animæ meæ & meipsum & omnia mea communicem. Redibit bonus hic homuncio civis noster postquam dies aliquot istic transmiserit, per quem valde obsecro ut & *Frechti* epistolam & *Regii* Apologeticum mittas. Valde pudet indiligentissimæ & plusquam tumultuariæ Scriptionis, sed velim nolim avocor, ut nihil præterea possim. Domino nos commenda. Saluta totam domum cum omnibus Fratribus & amicis 20. Martii. 43. (Constantiæ.)

T. A. B. h. e. Tuus ~~Ambros.~~ Blaurer.

Inscript. Bullingero suo.

IV.

FRECHTUS (ut videtur) ad *Ambros. BLAURER.*

Salve mi *Blaurere* in Domino suspiciunde. Pro tua insigni humanitate boni consulas, si gravissimis & sanctissimis occupatum negotiis subinde insullis meis scriptis te interpellem interturbemque: Facit hoc mea in Te charitas & observantia, facit & *Gervasii* nostri interpellatio, quam litteris suis hoc momento acceptis inseruit, rogitans ut ad te mitterem

terem Scriptum , quod recens malus quidam **CLAUDIUS SABAUDIENSIS** in Christi Divinitatem & Triadis S. majestatem blasphemio ore evomuit : Atque ut retento exemplari descriptum tibi transmitterem, sedulus & sollicitus *Gervasius* per litteras monuit. Licuit itaque ad hunc modum describere illud :

Dominus Deus tuus unus est. Unde igitur alii duo , præsertim cum scribitur : *Quis fuit illi a consiliis.*

Solus ille homo , quem Maria concepit & peperit dicitur Filius Dei (Jesus), quod probatur : *Ecce concipies & paries filium & vocabis nomen ejus Jesum, is erit magnus & Filius altissimi vocabitur.* Quis igitur est tam sanctus, tam magnus, qui *Filius Dei* vocatur, nisi is qui conceptus in ventre virginis & deinde natus. Non igitur admittet Christianus alium esse Filium Dei ab eo quem Scriptura admittit.

Item. *Pariet filium, & vocabis Jesum, is enim salvum faciet &c.* Ecce quod idem ille homo, primogenitus Mariæ, dicitur *Salvator*, & non Divinitas aliqua Christi : quod dicitur salvasse nos per sanguinem suum, non per Divinitatem suam. Quamobrem ipsemet de seipso testatur : *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam;* non dicit qui manducat meam Divinitatem : Igitur non teneor manducare Deitatem Christi : sed tantum carnem & potare sanguinem. Ita Angeli cantaverunt de illo : *Hodie natus est Salvator mundi:* qui tamen non dixerunt : *Hodie*

natus natus est Deus. Blasphemant ergo qui dicunt de Virgine, quod sit *Mater Dei*: Deum enim non genuit, sed Christum. Si enim cœlum & terra non potest Deum includere, a fortiori nec Venter mulieris. Quod si Jesus sic divideretur in Deum & hominem, non esset Virgo mater Christi, sed tantum partis.

Item nota hanc particulam HODIE, quæ certum tempus indicat, non ergo ab æterno a Patre natus, ut imaginantur falso: Sed *ubi advenit plenitudo temporis misit Filium suum ex muliere factum*. Ergo igitur duntaxat dicitur Filius Dei, qui ex muliere factus est.

Item: Pater testimonium perhibuit de illo: *Hic est Filius meus dilectus*. De quo dictum est, nisi de eo qui baptizatus fuit; Divinitas autem Christi dicitur minime baptizata fuisse, sed solus homo demonstratus fuit.

Item: *Ecce Agnus Dei, qui tollit &c.* In hoc quod dicitur *Agnus*, non includitur aliqua Deitas, sed denotatur duntaxat id quod aptum est mactationi.

Item: Per hoc quod dicitur: *Non omnino assumpsit Angelus, sed semen Abrahamæ*, satis denotatur, quod Pater volens sibi reconciliari mundum, hoc voluerit facere per creaturam & per sanguinem, non per Divinitatem aliquam, sed Pater erat in eo per plenitudinem Spiritus reconcilians sibi mundum: Non dicitur assumpsisse aliquid filii quod ab æterno fuerit, sed semen tantum Abrahamæ. Fateor ta-

men

men *Jesum Christum* esse DEUM eo modo, quo ipsemet seipsum declaravit. Si hos dixerit Deos, ad quos Dei sermo factus est, quanto magis is, quem Pater sanctificavit, qui accepit Spiritum ultra consortes suos, ita ut omnes acciperent per eum a Patre.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ, & hunc solum ab æterno fuisse; Et in *Jesum Christum* Filium ejus unicum Dominum nostrum, credo quod conceptus de Spiritu S. sit, & de virgine natus, & in certo tempore; non igitur ab æterno. Etiam credo in Spiritum, sed non in Deum Spiritum S.

Summa. Non credo tres personas esse unicum Deum. Sed scio esse tres homines: Tres personæ sunt tres homines, non unus Deus.

Er ist ein klein Männlein, vornen gläset, ein Bart mit zween Strogen, ein böß schwarz Wapen, Köcklein mit Ermlen &c. Negat Deitatem in Christo. Er negiert es als den Locum Joh. I. *In principio* &c. & *Verbum caro factum est.* Joh. V. *Pater operatur & ego operor.* Joh. VIII. *Ego sum ante Abraham.* Coloss. I. Hebr. I. I. Corinth. VIII. *Nobis unus & Deus & Dominus.* &c. Item I. Joh. I. de verbo vitæ.

Er spricht: Christus est ab æterno in Verbo, in promissione; Item fuit prior Abraham dignitate, ut Johannes Bapt. de eo dicit Marc. III. At Christus non fuit in eo ab æterno, Christus in Maria antea nihil fuit. Item, Deus unus est ab æterno,

at non fuit Pater ab æterno , factus est enim Pa-
ter , quum creavit homines & Christum. *In prin-
cipio erat Verbum* , dicit , Christus est verbum , hoc
est Verbum loquens. Item , *Verbum factum est
caro* , dicit , quod Deus locutus , quod promisit
id factum esse nemo negat. Hæc de illo.

Wolfg. Musculus ad Ambros. Blaurerum.

An. M. D. LIIII. (ni fallor.)

Cum primum venissem Augustam reperi in car-
ceribus duos antesignanos Anabaptistarum *Jacobum
Pellificum & Jac. Dachserum*. Totum quadriennium
egerunt in vinculis. Impetravimus Bonifacius &
ego a Senatu , ut esset nobis libera invisendi il-
los copia : permisit Senatus. Tandem illi man-
suetudine nostra victi ; qui nullo carcerum squa-
lore , nullo mortis metu vinci poterant , resipue-
runt & recantarunt. Postea idem usu venit no-
bis cum tribus aliis , & ipsis contentiosissimis Ana-
baptistarum Coryphæis , quos eadem lenitate ac
salutandi frequentia ad hoc induximus , ut errores
suos agnoverint & abjurarint. Quid actum sit
item cum CLAUDIO *Sabaudo* Trinitario , quem
Senatus Augustanus in vincula conjecerat , dubio
procul adhuc recordaris. Gratia Domini adjuti
malebamus servare animas sanguine Christi redem-
tas , quam licitori dare perdendas. Senatus pro
suo officio cavet , ne quidpiam falsorum dogma-
tum veneno possent amplius inficere , dum eos
in custodia clausos detinuit. Ministri verbi cura-
bant , ut interventu gratiæ Domini misere irreti-
tos tandem a laqueis Satanæ liberarent & ad resi-
piscenciam inducerent. Et id agebatur non uno

&

& altero mense , sed perseveranter , nec disputationibus & rixis , quibus mentes illaqueatae non solvuntur , sed magis irretiuntur ; sed amicis ac fraternis Salutationibus , Colloquiis , Consolationibus ac beneficiis , quibus futurum sperabatur ut flecterentur tandem illorum mentes & monitionum doctrinaeque capaces redderentur. Est enim hominis animus generosus , ac magis faciliusque ducitur quam trahitur. Huic rationi lucrificandi errantes crede mihi non deest Deus , si Ministri non sint pigri , sed irremissi in opere hoc & studio convertendi homines ab erroribus noxiis & Christo lucrificandi.

